



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Ottoni Illvstri Romanorvm Imperatori semper Augusto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

& pro salute totius Ecclesie & populi Christiani in aliquo loco nobis & vobis congruo loqui nobis dignemini. Tantum enim desiderium est cordis nostri vobis loquendi quod antequam remaneat tam salubre negotium, quod provenire potest ad commodum & salutem universae Dei Ecclesie, nos ipsum corpus nostrum periculo mortis supponere non formidamus, & sub periculo personae nostrae ad vos urbem intrare decrevimus. Attendat tamen sanctitas vestra quod magnum periculum in introitu in urbem totius Ecclesie posset provenire.

OTTONI ILLVSTRI ROMANORVM  
Imperatori semper Augusto.

*Epist. 194.*

**S**I commodè posset fieri, proculdubio expediret ut ad invicem loqueremur; sicut tu ipse desideras, & nos etiam affectamus. Sed pensatis omnibus circumstantiis, non videmus qualiter hoc ad praesens commodè valeat adimpleri propter multiplices causas, quarum ali-

quas per latorem praesentium magistrum Iohannem Capellanum tuum imperiali prudentiae intimamus. Rogamus igitur & monemus tuam imperatoriam dignitatem quatenus hoc pro malo non habeas, cum non voluntatis affectus sed necessitatis articulus sit in causa. Verum quod per nos ipsos ad praesens personaliter effici nequit, per aliquem fidelem & providum internuntium poterit adimpleri, qui utriusque reportet ad alterum quantumlibet secretum mentis arcanum. De negotio verò terrae quod dilectus filius S. Camerarius noster ex tua nobis parte proposuit, hoc tibi duximus respondendum, ut & tu modum excogites ad tuum & nostrum redundantem honorem, & nos excogitabimus modum ad tuum & nostrum commodum pertinentem. Datum Laterani v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno duodecimo.

FINIS TOMI PRIMI.